



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Latitudo eiusdem procurrit ab eâdem vrbe Dulcinio, ad os Ambracij sinus, de Larta, & complectitur 270. millia pass. Francicas leucas 135. Germanicas 67 cum dimidia.

N v M. 3. *Qualitas Albanie.*

REGIO circa Dyrrachium & Dulcinium feracior est; in parte Meridionali etiam vina generosa crescunt, inter quæ Aulonica de la Valone celebrantur. Ad eamdem quoque urbem pix laudatissima crescit, & sal in montibus effoditur. In Italiâ quoque laudantur cera Albana, gossipium, linum, tapetes; & quia sale abundant, & piscibus ora maritima scatet, ideo illi fallantur, & per vniuersam Græciam distribuuntur.

N v M. 4. *Mores Albanorum.*

ALBANI omnes bellicosi sunt, & ad fatigandos hostes peridonei: milites hîc melius ex equis, quâm pedites depugnant, sed rapaces sunt, & nimio prædæ ardore victoriâ dubiam reddere solent Idiomate peculiari vtuntur quod neque Turicum, neque Græcum, neq; Slavicum, illud autem secum ex Asâ detulisse dicuntur; multis tamen Slavicis verbis inquinatum est. Venales animas habent, & ei militant qui luculentius stipendum offert, sed maximè Veneti operam suam & sanguinem locant. Italorum more vestiuntur fere ditiones, reliqui ritu barbarorum, quibus vestis ad necessitatem, nihil ad ornatum. In funeribus suis mortuum quasi viuentem interrogant, & præficas adhibent quæ sibi capillos euellunt, ac genas radunt. A meridie Dyrrachium usque viget ritus Græcus, exinde Latinus receptus est.

N v M. 5. *Politia Albanorum.*

TEMPORE irruptionis Turcicæ inter tres familias regio distributa fuit. *Comneni* ex familiâ Imperatorum Orientalium oræ maritimæ imperabant Dyrrachij & Aulonæ, Duxque ultimus Constantinus Comnenus, qui & Comes Montisferrati in Italiâ fuit, hîc rerum potitus est. Antea tamen Dyrrachium obtinuerunt Car- louisij ex familiâ Francicâ.

Mediterraneis locis, & magnæ parti Albaniæ imperarunt *Castriones*; sed ab Amurate II. domiti sunt. Quamquam Scanderbegus, hoc est Alexander Epirota, regnum paternum instaurarit, & fortissimè defenderit.